



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Parochorvm, Sive Institviones & Praxes Tum
Vitæ, tum Officij Pastoralis**

Musart, Charles

Monachii, 1654

III. Praxes pro audiendis surdis, linguæ ignaris, mutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

hæc indiscreta discretio: aduerte etiam obiter , etsi delegare possis tuam iurisdictionem alteri ad tuos audiendos: debere illum esse ab Episcopo approbatum ad audiendas confessiones.

N V M: III.

De surdis, mutis, aut linguae ignarioribus.

SVrdorum confessionem eo loco excipe , vbi cum iis loqui sic possis , vt alii audire non possint. Clamare solent ipsis , quod putent etiam ceteros malè audire : mone eos , vt modestius loquantur. Quod si ita capiunt auribus , vt nihil omnino percipiunt; signis, & nutibus agendum , insinuandumq; grauium peccatorum numerum in digitis ostendant : pœnitentiam verò illis significa ostensione , verbi gratiâ , Rosarii , vel alio signo. Si nōrunt legere , & scribere : scripto interrogare , & quædam monere potes , & ipsis confiteri possunt scripto , si velint ; nam saltem extra periculum mortis,

mortis, nemo ad id tenetur, ob periculum sigilli frangendi: quam obcausam neq; ignaro linguæ quis tenetur confiteri per interpretem, saltem extra articulum mortis. párq; ratio est de mutis; nutibus tamen & signis vti debent; iisdémq; vti debebis; partim vt peccata cognoscas, aliquo modo, partim vt pœnitentiam iniungas.

Quòd si nihil in particulari de peccatis exprimere possint, ostendant saltem voluntatem confitendi signo aliquo animi pœnitentis, vt tunzione pectoris, flexione poplitum, coniunctione manuum, sufficiéntque, vt absoluas, atq; ad id illi tenentur, præsertim si periculum mortis id exigat. Eodem modo agendum tibi, si accesserit pœnitens planè ignarus tuæ linguæ, neq; interpretem habeas, aut eo vti nolit: conabere tamèn semper, saltem aliquod peccatum, quantumvis leue, extorquere. Planè simul mutus, & surdus à nativitate, cùm nihil cognoscat

de

94 *Institutionum Pastoralium*
de hoc Sacramento , non video , quia
ratione absolui possit. Tu vide , an ex
gestu signum aliquod sufficiens depre-
hendere possis.

NVM: IV.

De accedentibus in habitu inconuenientiis

Si qui ad confessionem accedant
habitu , ornatuue corporis malo,
si venialis est vanitas , aut fastus , ne re-
pelle : repelle autem , nisi dolores
præmittant , emendationemque pro-
mittant , si habitus ille , vel ornatuue
mortaliter malus , vel quia vehementer
libidinem excitat , aut gestatur
animo libidinoso : quod si poenitentiæ
ornatum illum offerat in bonum ec-
clesiæ , aut pauperum , ne sic quidem
admitte , nisi saltem priorem formam
destruat. Gladio accinctum confitei-
et si minus decet ; de se tamen
cum Sacramento non
pugnat.

NVM: